

CAP. X.

DE VIA ILLUMINATIVA IN SE.

201. — **Praenotandum.** — In tota tractatione de via purgativa (et cap. I), multiplicavimus explanationes et notiones, ut anima bene solidata a principio, facilius pergat proficiendo. Multa quae in via purgativa dicuntur, valde inserviunt viae illuminativae, cum eo ipso quo docetur multiplex purgationis modus, traduntur consequenter non pauca documenta quae non solum adjuvant ad vitia purganda, et defectus valde minuendos, sed etiam ad virtutes singulis vitiis et defectibus contrarias intelligendas, sectandas et acquirendas. Quapropter breviori sermone agendum de via illuminativa, ut patet.

202. — **Notio viae illuminativae.** — Via illuminativa (ut dictum est n. 45) est *illa in qua anima a peccatis purgata, illuminatur per virtutes, et roboratur in charitate per augmentum charitatis: VEL ea in qua proficientes, dum passiones jam magis magisque moderatas habent, quotidie magis illuminantur ad operationem virtutum.* Dicitur *illuminativa*, quia in illa anima illustratur per considerationem beneficiorum Dei, et magis intelligendo quantum debeat Summo Bono, conatur

intensius detestari omnia peccata, et Deo placere virtutes adipiscendo.

203. — **Differentia.** — *Via illuminativa differt a purgativa*, quia 1° in via *purgativa* anima moritur mundo et nascitur Deo; in *illuminativa* vero, anima crescit, volens gratitudinem suam Deo practice per virtutes quasi probare. — 2° In via *purgativa*, evelluntur spinae et pessimae radices vitiorum; in *illuminativa*, seminantur et plantantur flores virtutum. — 3° In via *purgativa*, anima purificatur et a sordibus mundatur; in *illuminativa*, decoratur et ornatur. **NOTA.** Ut dictum est, nunquam tamen anima cessare debet a defectibus purgandis, quamvis in via *illuminativa*, jam multo melius mundata sit.

204. — **Officium viae illuminativae** multiplex: 1° Consecutio virtutum tum theologalium, tum moralium: ergo laborandum. — 2° Exercitatio earundem virtutum: ergo nunquam quiescendum in palestra virtutum. — 3° Ornare animam et illam in charitate roborare, ut Deo magis magisque placere possimus; ergo magis fugiendum a defectibus et magis quaerendum divinum amorem.

205. — **Finis viae illuminativae** est non solum invigilare ut malae vitiorum herbae non amplius crescant, et illas quamvis minoris sint momenti magis magisque evellere, sed sollicitè curare ut anima ditetur multiplici virtutum thesauro et ornamento. Etenim certum quidem est quod in via purgativa virtutes coluntur et acquiruntur, et defectus evel-

luntur, sed neminem latet quod haec *principaliter* occupatur in majoribus defectibus destruendis, ut charitas non destruat sed enutriatur: ac proinde virtutes in incipientibus sunt *veluti consequenter exercitae*: in proficientibus vero *quasi quid principale*, utrique tamen in ordine ad unionem cum Deo. Illuminativa non amplius contentatur de essentialibus ad vitam gratiae: sed curat etiam quae essentialia perficiunt, roborant et accrescunt, et abhorret ab iis quae etiam remote essentialibus adversantur. Via purgativa est *principaliter vita poenitentiae*, illuminativa vero *principaliter vita virtutum* acquirendarum. Quae omnia melius intelliguntur, si videatur quod dictum est cap. II.

206. — **Terminus viae illuminativae** est *totius hominis ornamentum* consistens 1° In sensuum exteriorum et interiorum generali et majori purificatione, et majori conscientiae puritate, etiam quoad venialia, quae magis magisque vitantur (quamvis omnia vitari nequeant...). Nota quod homo virtutum amator, et etiam cultor exterius perficitur modestia, pace, mansuetudine etc. — 2° In magna omnium virtutum aestimatione. — 3° In sollicita cura et indefesso labore ad virtutes exercendas, praesertim quoad illas quae propriae conditioni magis conveniunt. — 4° In illustratione animae proveniente ex majori sollicitudine circa Dei famulatum, et ex habituali exercitio virtutum. Unde proficientes magis ac magis timent omnia peccata, et non solum curant ut fugiant malum et speciem mali, sed multum adlaborant ut semper faciant

bonum et majus bonum per praxim virtutum. Incipientes faciunt etiam bonum, remissius et imperfectius.

207. — **Signa quibus cognosci potest quemdam pervenisse ad terminum viae illuminativae.** — I. Si magna de propria obligatione Deo cum gratitudine serviendi concepta aestimatione, maxime detestentur et facile et prompte vitentur mortalia; conetur quamvis non tam facile devitare venialia deliberata, et in virtutibus a charitate distinctis exercitus, ipsarumque virtutum actus ipsi faciliores evadunt. — II. Si in eo passiones ita sedatae sunt, ut multo minus sollicitent animum qui proinde magis illuminatus, Deum melius amet et in virtutibus notabiliter proficiat. — III. Si spe magni premii, nulla terreatur difficultate, et serio adlaboret ut thesaurum adaugeat. Etenim via purgativa maxime respicit timorem ut anima fugiat peccata et Dei amicitiam conservet; via illuminativa maxime respicit spem ut anima merita habeat et divitias aeternas acquirat, gratiae augmentum et roborem; via unitiva maxime respicit charitatem, ut anima ita diligat Deum ut Deo inhaereat, eo fruatur, in eo quiescat. — IV. Si crucem Domini jam portet libenter, illum *libenter* sequens per imitationem virtutum. — **MONITUM.** *Si vis in vero profectu permanere*, memento quod « haec est ubique magna virtus, et summa securitas, quando et pie vivis et tamen plus attendis quae desunt tibi, quam quae obtinuisse videris » (S. Bern. *serm.* 4, *sup. qui habitat*).

208. — *Duratio viae illuminativae* (Vide quae dicta sunt n. 56). Ex dictis patet quod in se tempus non potest tanquam quid fixum assignari, sed videndae dispositiones illuminati, consideretur quantum in cognitione spiritualium et despectu vanitatum profecerit, et deinde inducendus pedetentim ad viam unitivam, ut continuo novis ditetur spiritualibus augmentis, ardentius fiat ejus perfectionis desiderium, crescat pervalde in divinae charitatis ardore et peroptet tandem Deo fortiter adhaerere, Deum maxime deligere, Deo valde placere, Deum indesinenter quærere, omnia pro Deo et propter Deum peragere, sciens quod omnia potest in eo qui illum jam saepe confortavit, liberavit, adjuvit et consolavit.

209. — *Varia.* — In via purgativa ideo *agitur de imperfectionibus vitandis*, quamvis haec potius pertinent ad alias vias, ut anima magis defendi possit ab hostibus, et quia, ut dictum est, in unaquaque via saepe exercentur quae ad alias pertinent, et difficillimum et fere impossibile esset vitare mortalia et eradicare vitia majoris momenti, si anima nihili faceret venialia et alios defectus generatim, nec haberet saltem *verum propositum perveniendi ad Deo in omnibus placendum* (quod quidem propositum omnino inveniri debet etiam in via purgativa), et quasi laxative mortalia tantum fugeret. Aliunde, quomodo fovebitur charitas, et fugientur occasiones gravis peccati, et moderabuntur concupiscentiae, si non adest aliquis conatus ad venialia et minores defectus corrigendos et varias virtutes per-

fectius obtinendas? *Ergo recte multa traduntur in via purgativa, quae etiam ad alias vias pertinent*, ut sint adjumenta et faciliora media ad vincenda mortalia et concupiscentias. — Item in via *illuminativa*, frequenter res est de divino amore perfectius diversis modis procurando, deque vitando quicquid impedit quominus affectus mentis totaliter feratur in Deum, quae quidem principaliter pertinent ad viam unitivam, ut facilius evadat virtutum exercitium, et universaliter et melius vitentur venialia deliberata contra quae anima in via illuminativa universaliter et principaliter pugnat per arma virtutum. — Tandem, memento quod omnes viae ad charitatis perfectionem tendunt et gradatim diriguntur (Vid. n. 47).

II. Ne innitaris propriis viribus in animae profectu obtinendo, sed spera in Deo et Deum ora. « Profectus hominis donum Dei est: nec a se potest quidquam, sed a Domino » (S. Isidor. *de Sum. bono* l. 2, c. 5, sent. 3).

III. Quatuor modis proficitur: in se, juxta se, supra se, sub se. In te est animus; juxta te proximus; supra te praelatus; sub te subditus. In te proficis per bonam vitam; in proximo per doctrinam; in praelato, per admonitionem; in subditis, per correctionem (Hugo a S. Vict. l. 3, *de Claustro anim.* c. 9).

IV. Deum diligamus et facilius laborabimus: « Ad proficiendum non movet pedem nisi charitas: ad cendum superbia » (Gloss. ord. *sup. ps.* 120).

V. Age, curre, festina. Age, ut in hac spirituali-

tate proficias: cave ne quod accepisti, incautus et negligens custos amittas: curre, ut non negligas: festina, ut celerius comprehendas (S. Hieron.).

VI. Bona voluntate ambulandum et difficultates superabimus: « Fac quod in te est, ut proficias, sicque cito senties per gratiam facile, quod per naturam fuit difficile » (Dion. Carth. *de per. char.* a. 4).

VII. Si tu vis proficere, non respicias quid mali faciant alii, sed quid boni ipse facere debeas. — Proficere proficisci est (S. Bern.).

VIII. In hac via, ne obliviscaris frequenter animam tuam poenitentia purificare. — Oratio absque virtutum exercitio non juvat ad perfectionem: ora ergo ut virtutes acquiras, illasque facilius et perfectius exerceas. — Proposita fortiter adimple. Sacramenta melius frequentare stude.

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Multum deligenda est beata Virgo a quolibet Christiano propter hoc, quod est inextinguibile lumen ejus. Nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram poenitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim lucerna pedibus suis et reducat eum in viam salutis eterne (B. Alb. Magn. *serm.* 3, *de Nativ. B. V.*).

Mariam invoca. — Ave, Maris stella. — Dei Mater alma. — Atque semper Virgo. — Felix coeli porta. — Mon-

stra te esse Matrem! Salva me o « Amatrix hominum » (S. Bonav.).

Mariam laetifica. — Quotidie in virtutibus proficiendo: quotidiana alicujus devoti libri ordinata et devota lectione. — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildef.).